



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

558. An Parochus eligi possit in Vicarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

mer. 131. non solum quia respectu facultatis theologicae, & Juris Canonici (quos duntaxat Concilium & Pontifex considerat) deficit illius auctoritas, ut Felin. in cap. per tuas. de major. & obed. sub num. 3. sed quia, quos Papa inhabilitat in materia sibi subiecta, non potest Caesar habitare, etiam si admittatur, actum doctorandi esse voluntariae jurisdictionis; quatenus enim removeretur inhabilitas inducta per Papam, esset contentiosa. Vide de his agentem pluribus Loterium à num. 133.

7. Jam verò in casu, ubi Doctor haberi non potuit, adeoque Capitulum validè elegit non Doctorem, poterit Capitulum in actu deputationis tali Vicario non Doctore à se electo dare Doctorem consultorem aliquem, alioquin poterit ipse Vicarius electus eligere sibi talem consultorem sibi bene visum, & partibus non suspectum. Pax Jord. lib. 12. tit. 2. nu. 16. Ventrigl. loc. cit. nu. 13. Vulp. loc. cit. apud Dian. Barbof. loc. cit. n. 52. citans Sbroz. de off. Vicar. l. 1. qu. 36. nu. 13. qui tamen ibi agit de Vicario non Capituli, sed Episcopi non Doctore, quem dicit posse sibi assumere Assessorum; cum & Judices imperiti esse possint, & Rectores civitatum assumendo Assessores. Pro quo citat plurimos. Quamvis dicat Garcias p. 2. c. 7. nu. 18. & 19. graviter peccare Episcopos, qui constituunt Vicarios Theologos, seu alias ad officium illud ineptos, & teneri illos ad restitutionem damnorum inde secutorum: quin & ad restitutionem assessoriarum, ut vocant, seu expensarum, quas tales Vicarii faciunt solvi à partibus Assessorum, & hunc in finem iniquè extorquent (uti & ipsi tales Vicarii ad hanc restitutionem tenentur) cum Episcopi gratis teneantur administrare justitiam, seu ponere, qui eam administrant.

8. Notanda denique hic sunt, quae habet Garcias loc. cit. à nu. 14. ubi: sed id malè servatur in ecclesiis hujus regni (intellige Hispania) nam Capitula sede vacante non curant eligere Vicarios Doctores authenticos in jure canonico, licet ad sint in Capitulo: & si eligant unum sic graduatum, eligunt etiam alium Theologum, vel non graduatum, quod est contra Concilium, sed Capitula sibi omnia licere putant. Nec fieri potest, quod in quadam ecclesia hujus regni fieri intellexi; nempe per singulos duos menses eligere duos Vicarios de Capitulo; unum graduatum, seu literatum, qui exercet officium; & alium non graduatum, qui non exercet, accipit tamen medietatem emolumentorum officii: & est simonia, & contra ritul. ne Praelati vices suas, nam in effectum est eligere graduatum in Vicarium cum onere dandi medietatem emolumentorum alteri, qui solo nomine est Vicarius. Sicut etiam est simonia, & contra dictum ritul. convenire Canonicos, quod quicumque illorum eligatur in Vicarium, teneatur dividere cum aliis Canonicis salarium, & emolumenta officii. Unde jam praedictae electiones tanquam simonicae sunt nullae, & sic electi tenentur dimittere officium, licet non incurrunt excommunicationem; quia non est beneficium, nec Ordo, ut Navar. cons. 1. tit. ne Praelati vices suas. Ita Garcias.

Quaestio 558. Num eligi in Vicarium possit Parochus?

1. **R**esp. Tamen si Canonicus de Capitulo habens cetera requisita exercens in eadem ecclesia & civitate curam animarum, eligi possit in Vicarium Capitulare, Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 38. Ventrigl. loc. cit. n. 15. Pignat. ro. 7. consult. 4.

n. 6. prout resolvit S. Congregatio praeposita negotiis Episcoporum, & Regular. in una Orient. 19. Martii 1619. apud Barbof. modò tamen utriusque officio, nempe Parochi, & Vicarii (ut videtur supponere dicta declaratio) satisfacere possit. De ceterò tamen, ut inquit Pignat. loc. cit. n. 6. in fin. generale est, Parochum & Vicarium esse officia malè comparabilia in eadem persona ex mente dictae S. Congr. 19. Junii 1603. ex eo, quòd ut quis bene exerceat alterum ex dictis officiis, alteri necessaridè deesse cogitur, ut eadem Congregatio in Summa 15. Nov. 1640. Unde licet talis Parochus urbanus habens in ipsa Cathedrali curam animarum, vel ex hoc ipso residere censetur residentiam materialis, quòd habet in urbe, & apud ecclesiam illam, in qua habet curam animarum; non tamen censetur residere residentiam formalem, quae consistit in exercitio muneris pastoralis, ad qualem tenentur Parochi, ut Sylv. v. residere. n. 1. Angel. Tabiena v. eod. Zerol. in pr. v. parochus. s. 4. Barbof. de potest. Episc. alleg. 71. n. 3. Garcias de benef. p. 2. c. 2. n. 179. apud Pignat. n. 7. juxta Trid. sess. 23. c. 1. dum inculcans debitum pastoralis curae animarum inculcat residentiam, quae parcat & regat, non, inquam, censetur residere residentiam formalem, si ea, quae muneris pastoralis sunt vel muneris Vicarii exercere impediatur.

2. Parochus tamen exterus, vel diocesanus omnino eligi nequit in Vicarium Capitulare. AA. idè uti & Merol. ro. 3. d. 7. du. 18. n. 191. Vulp. in pr. fori iudic. eccl. c. 4. n. 18. apud Dian. loc. cit. resol. 58. prout etiam dictum fuit in citata declaratione decisiones contrarias, seu negantes Parochum eligi posse in Vicarium, intelligendas de tali Parocho rurali. Quod adèdè verum est, ut ne ipse quidem Episcopus absque dispensatione apostolica possit in sui servitium habere Parochum, nec eum occupare in servitio ecclesiae Cathedralis, ut nempe sit Vicarius, Visitator, &c. Pignat. loc. cit. n. 4. citans Navar. l. 2. tit. 22. de resident. parochi, nu. 166. & seq. Gonz. ad reg. 8. gl. 6. n. 258. Barbof. de off. Episc. p. 3. alleg. 53. n. 85. Zerol. in pr. Episc. p. 2. c. 3. n. 27. Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 42. & c. Ratio responsionis & disparitatis est: quia imprimis talis Parochus exterus non est de gremio Capituli: dein ratione curae animarum tenetur jure divino & canonico residere. Trid. sess. 23. c. 1. Pignat. loc. cit. n. 3. Less. de iust. l. 2. c. 34. dub. 29. n. 153. Lotter. de re benef. l. 3. c. 27. n. 37. citans D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 5. & ibi Cajet. Soto de iust. & jure l. 10. q. 3. a. 1. 2. 3. Zypa. in analys. l. 3. de cler. non resident. n. 7. & plures alios. Quae residentia aliter non est dispensabilis, quam ex suppositione majoris commodi & utilitatis ipsius ecclesiae per interpretationem ejusdem juris divini, ut ait Lotter. n. 40. de quo vide Azor. Inst. mor. p. 2. l. 7. c. 4. vide & me ipsum For. benef. p. 1. q. 386. & seq. & praesertim q. 386. Atq; ita Parochum, ne resideat, nulla excusat consuetudo: nec secundum S. Congr. Concilii excusat servitium Episcopi, aut Cathedralis, aut officii Inquisitionis, Pignat. loc. cit. n. 4. ex Sa v. residentia, n. 1. Et Episcopum uti non posse operari Parochi in visitatione, vel alio servitio suae diocesis, nisi pro tempore alias permisso, nimirum duorum mensium. Possevin. de off. curati. c. 1. n. 12. Quarant. in sum. Bull. v. residentia apud Pignat. loc. cit. n. 4. Sed & vix considerari potest urgens necessitas (in quo casu adhuc requiritur dispensatio, ut Lotter. loc. cit. nu. 40. & seq.) vel utilitas ecclesiae; cum verisimile non sit, praeter unum talem Parochum non reperiri alios aequè idoneos in tota diocesi, ac praecipue in Capitulo Cathedrali, cujus Canonicos jura praesumunt per-

peritos, ac consilio maturos, ut Fagn. in c. super inordinata, de p. ab. n. 12.

3. Neque suffragatur, si parochus huiusmodi (intellige extero) iam extitisset Vicarius defuncti Episcopi, ut valide dein à Capitulo eligi seu confirmari possit in Vicarium Capitularem. Pignat. loc. cit. n. 8. apud quem *ibidem* plura concernentia hanc materiam residentia Parochialis leges utiliter.

Quaestio 559. Qua aetas requiratur in Vicario Capitulari.

R Esp. Aetatem viginti trium annorum permitti posse in Vicario Capitulari, si aliàs est idoneus, non tamen id expedire ait Barbof. iur. eccles. l. 1. c. 32. n. 5. sic declaratum testans à S. Congreg. Concilii 11. Aug. 1614. Veruntamen (saltem praescindendo à dicta declaratione) rectius dici videret ob paritatem rationis requiri in eo aetatem ad minimum viginti quinque annorum; dum vi Tridentini ad quasunque dignitates, quibus cura animarum subest, requiritur, ut promovendus vigesimum quintum aetatis annum attigerit, & minor 25. annis ad officium vel dignitatem, quae administratio nem continet, admitti non debeat. L. ad rempub. ff. de mun. & hon. Sbroz. de off. Vicar. l. 1. q. 35. n. 3. & 4. Et hinc Vicarius Episcopi generalis, qui habet dignitatem cum administratione rerum spiritualium, non debet esse minor 25. annis, Sbroz. *ibid.* n. 2. juncto n. 4. Ità, ut ne quidem Episcopus super hac aetate Vicarii sui dispensare valeat, Sbroz. loc. cit. n. 6. citans Abb. in c. cum in cunctis. §. inferior. de elect. n. 3. Card. in Clem. 1. q. 38. n. 25. de off. Vicar. dicens opinionem Archidiacon. in c. licet canon. de elect. n. 6. sententiam contrariam communiter reprobari. Jam verò Vicarius Capituli non minus quam Vicarius Episcopi administrationem rerum spiritualium; quin & curam animarum, saltem consistentem in iurisdictione illa externa, habeat. Quidquid sit de hoc, dum hic Vicariatus sit quoque dignitas, quin etiam addit Sbroz. nu. 7. & 8. non posse à Capitulo sede vacante deputari Vicarium in causa haresis, nisi is attigerit annum aetatis quadragesimum, & aliàs non valere gesta per illum, etiam si non opponatur. Pro quo citat Pavin. de potest. Capit. sed. vac.

p. 2. q. 10. n. 9. post gloss. in Clem. 1. de haret. versiculo committi.

Quaestio 560. Num Vicarius Capituli sede vacante debeat esse constitutus in sacris Ordinibus?

R Esp. Id non requiri; sed posse non minus à Capitulo sede vacante, quam ab Episcopo in Vicarium Capitularem eligi Clericum primae tonsurae. Dian. p. 8. tr. 4. resol. 59. Ventrig. ro. 2. annor. 15 §. 2. n. 61. & apud hunc Meroll. ro. 3. d. 7. c. 7. dub. 18. n. 189. contra Venerum in Exam. Episc. l. 4. c. 1. n. 18. & Novarium in sum Bullar. to. 1. tit. de Capit. sed. vac. n. 19. audacter dicentem, quod licet Trident. hanc qualitatem in Vicario non requirat, Clementem tamen VIII. in literis per illum relatis expressè sic jubere, ut Canonicus, qui non est in sacris, non possit esse Vicarius. Quas tamen literas id non continere ait Ventrigl. & dictarum literarum nullum testimonium authenticum afferri, ait Meroll. apud Dian. Et quàmvis hæc litera reperirentur, nihilominus hodie non obligarent; quia continent præceptum personale lacum, scilicet ab homine, quod morte dicti Clementis expiravit. Quin & responsionem nostram procedere, ait Ventrigl. tametsi Clericus in minoribus electus in Vicarium Capitularem obtineat canonicatum, cui Diaconatus, vel Presbyteratus Ordo annexus est, & ità obligetur intra annum hunc Ordinem suscipere, juxta dispositionem Tridentini sess. 22. c. 4. ità ut adhuc elapso anno possit eligi in Vicarium: cum licet talis Canonicus ob non promotionem privetur voce activa in Capitulo, non tamen voce passiva (hæc enim absolute est vox, & de ea, & non de voce passiva privationem illam intelligunt Barbof. de can. & dignit. c. 16. n. 18. & 41. n. 1. in fine. Garcias de benef. p. 3. c. 4. in addit. sub n. 15. contra Less. de iust. l. 2. c. 34. n. 105.) adeoque remanet eligibilis.

Quaestio 561. Num illegitimus eligi possit in Vicarium Capitularem sede vacante?

R Esp. Negativè: eo quod qui etiam solum ad interim pro tempore vacantia statuuntur Superiores ordinarii (qualis est dictus Vicarius) debeant esse legitimi. Passer. de elect. c. 25. n. 160. contra Sylv. & Rodriq.

CAPUT QUINTUM.

De Iurisdictione & Potestate Vicarii Capitularis.

Quaestio 562. An & qualiter Vicarius Capitularis dicatur Vicarius Episcopi, vel etiam Vicarius episcopalis iurisdictionis?

1. **R** Esp. ad primum, Vicarium Capitularem non esse, nec dici Vicarium episcopi. Pax Jord. l. 12. tit. 2 n. 3. Sbroz. de off. Vicar. l. 1. q. 16. n. 6 & seq. citans gl. in Clem. & si principalis. de rescript. v. Episcop. Felin. in v. eam re. de rescript. n. 17. Pavin. p. 2. q. 10. n. 2. Lambert. de jurep. l. 1. p. 3. a. 7. q. 1. n. 3. & c. Vicarius enim ille vicem aliam sive alterius gerere non potest, quàm illius, à quo P. Laurentii Tract. III. De Capit. sed. vac.

habet iurisdictionem; eam autem habere non potest ab Episcopo, utpote qui non est amplius sede vacante, sed à Capitulo, quod ipsum iurisdictionem Episcopalem habet, & estque Episcopi successor; adeoque Capituli, & non Episcopi dicitur successor Pax. Jord. loc. cit. Sbroz. loc. cit. n. 10. Et sane, si Vicarius hic esset, & diceretur Vicarius Episcopi, iam ubi Papa delegasset Episcopo, aut ejus Vicario hic & nunc potestatem absolvendi à casu aliquo, posset defuncto Episcopo Vicarius Capitularis absolvere, ac ità majorem iurisdictionem haberet, quàm Capitulum, à quo tamen iurisdictionem suam accipit, prout hoc absurdum deducit Sbroz. loc. cit. n. 1. & 2. Pari modo ex his deducit Felin. loc. cit.